

Rome, 10 mars 1611. Dispensation de résidence obtenue par Bell.
en faveur de l'abbé Ang.della Ciaia. 1042

Die 10. Martii, 1611, facto verbo cum Sanctissimo S^{tas} sua dispensavit cum Angelo della Ciaia Abbate S^{ti} Benedicti de Capua, ut possit Romae manere usque ad expeditionem suorum negotiorum.

R. Card^{lis} Bellarminus.

=====

Edictum super residentia clericorum.

Io. Garcia miseratione divina tt. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Cardinalis Millinus episcopus Imolen. S. D. N. Papae Vicarius Gen. Romanaeque Cur. eiusque districtus iudex ordinarius etc.

Universis, et singulis clericis beneficiatis cuiusvis conditionis, gradus, dignitatis, et praeeminentiae in hac Alma Urbe existentibus, qui in suis ecclesiis parochialibus, dignitatibus, canonicatibus, vel aliis quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, de iure, vel de consuetudine, personalem residentiam facere tenentur: de mandato Sanctiss. D. N. Pauli Papae V. vivae vocis oraculo nobis facto, districte praecipimus, et mandamus, eosque monemus, et requirimus quatenus infra quindecim dierum spatium quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, et totidem pro tertio, ac peremptorio termino, eisdem, et eorum cuilibet assignamus, debeant, et quilibet eorum debeant, omni mora, et cunctatione postposita, ab Urbe, et Romana Curia discessisse, et ad suas ecclesias seu beneficia rectis itineribus se contulisse, ibique personalem facere residentiam. Quod si quis nostris huiusmodi, immo verius Apostolicis monitionibus non paruerit, ultra poenas in Sacrosancti Concilii Tridentini decretis, et Apostolicis Constitutionibus contentas; eo ipso poenam centum scutorum incurrat, applicandam pro medietate Rev. Camerae Apostolicae, et pro alia medietate secreto denunciatori; et si aliquis praedictorum elapsis terminis praefatis per mensem neglexerit e Curia recedere ad effectum se conferendi ad suam ecclesiam, ut superius est mandatum, tunc ipso facto, et absque alia declaratione, fructus benefi-

/ praefatorum beneficiorum non faciat suos, ac etiam privationis eorumdem beneficiorum, atque alias arbitrio nostro poenas incurrat. Certificantes omnes, et singulos praenominatos, quod in morosos, et contumaces irremissibiliter procedetur ad praefatarum poenarum executionem. Volumus autem, et decernimus, quod praesentibus nostris literis, earumque copiis impressis in locis solitis affixis, et publicatis, quoscumque eorum arctet executio, perinde, ac si personaliter intimatae fuissent, vel ostensae. In quorum fidem etc. Dat. Romae in Palatio nostrae solitae residentiae sub Anno à Nativitate Domini, Millesimo sexcentesimo undecimo, die vero septima Martii, Pontificatus Sanctiss. Domini Nostri Domini Pauli Divina providentia Papae Quinti, Anno Sexto.

Cesar Fidelis Episc. Salonien. Vicesger:

Fulvius Passarinus Not.

15 Romae, Ex Typographia Rev. Camerae Apostolicae. 1611.

Ex. Opp. NN. 149^a fol. 55. Impr. avec note autogr.